# LA REGOLA DI SAN BENEDETTO

## INDICE


- PROLOGUS
- I DE GENERIBUS MONACHORUM
- II QUALIS DEBEAT ESSE ABBAS
- III DE ADHIBENDIS AD CONSILIUM FRATRIBUS
- IV QUAE SUNT INSTRUMENTA BONORUM OPERUM
- V DE OBOEDIENTIA
- VI DE TACITURNITATE
- VII DE HUMILITATE
- VIII DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS
- IX QUANTI PSALMI DICENDI SUNT NOCTURNIS HORIS
- X QUALITER AESTATIS TEMPORE AGATUR NOCTURNA LAUS
- XI QUALITER DIEBUS DOMINICIS VIGILIAE AGANTUR
- XII QUOMODO MATUTINORUM SOLLEMNITAS AGATUR
- XIII PRIVATIS DIEBUS QUALITER AGANTUR MATUTINI
- XIV IN NATALICIIS SANCTORUM QUALITER AGANTUR VIGILIAE
- XV ALLELUIA QUIBUS TEMPORIBUS DICATUR
- XVI QUALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTUR
- XVII QUOT PSALMI PER EASDEM HORAS CANENDI SUNT
- XVIII QUO ORDINE IPSI PSALMI DICENDI SUNT
- XIX DE DISCIPLINA PSALLENDI
- XX DE REVERENTIA ORATIONIS
- XXI DE DECANIS MONASTERII
- XXII QUOMODO DORMIANT MONACHI
- XXIII DE EXCOMMUNICATIONE CULPARUM
- XXIV QUALIS DEBET ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS
- XXV DE GRAVIORIBUS CULPIS
- XXVI DE HIS QUI SINE IUSSIONE IUNGUNT SE EXCOMMUNICATIS
- XXVII QUALITER DEBEAT ABBAS SOLLICITUS ESSE CIRCA EXCOMMUNICATOS
- XXVIII DE HIS QUI SAEPIUS CORREPTI EMENDARE NOLUERINT
- XXIX SI DEBEANT FRATRES EXEUNTES DE MONASTERIO ITERUM RECIPI
- XXX DE PUERIS MINORI AETATE, QUALITER CORRIPIANTUR
- XXXI DE CELLARARIO MONASTERII, QUALIS SIT
- XXXII DE FERRAMENTIS VEL REBUS MONASTERII
- XXXIII SI QUID DEBEANT MONACHI PROPRIUM HABERE
- XXXIV SI OMNES AEQUALITER DEBEANT NECESSARIA ACCIPERE
- XXXV DE SEPTIMANARIIS COQUINAE
- XXXVI DE INFIRMIS FRATRIBUS
- XXXVII DE SENIBUS VEL INFANTIBUS
- XXXVIII DE HEBDOMADARIO LECTORE
- XXXIX DE MENSURA CIBUS
- XL DE MENSURA POTUS
- XLI QUIBUS HORIS OPORTET REFICERE FRATRES
- XLII UT POST COMPLETORIUM NEMO LOQUATUR
- XLIII DE HIS QUI AD OPUS DEI VEL AD MENSAM TARDE OCCURRUNT
- XLIV DE HIS QUI EXCOMMUNICANTUR, QUOMODO SATISFACIANT
- XLV DE HIS QUI FALLUNTUR IN ORATORIO
- XLVI DE HIS QUI IN ALIIS QUIBUSLIBET REBUS DELINQUUNT
- XLVII DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI
- XLVIII DE OPERA MANUUM COTIDIANA
- XLIX DE QUADRAGESIMAE OBSERVATIONE
- L DE FRATRIBUS QUI LONGE AB ORATORIO LABORANT AUT IN VIA SUNT
- LI DE FRATRIBUS QUI NON LONGE SATIS PROFICISCUNTUR
- LII DE ORATORIO MONASTERII
- LIII DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS
- LIV SI DEBEAT MONACHUS LITTERAS VEL ALIQUID SUSCIPERE
- LV DE VESTIARIO VEL CALCIARIO FRATRUM
- LVI DE MENSA ABBATIS
- LVII DE ARTIFICIBUS MONASTERII
- LVIII DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM
- LIX DE FILIIS NOBILIUM AUT PAUPERUM QUI OFFERUNTUR

- LX DE SACERDOTIBUS QUI FORTE VOLUERINT IN MONASTERIO HABITARE
- LXI DE MONACHIS PEREGRINIS, QUALITER SUSCIPIANTUR
- LXII DE SACERDOTIBUS MONASTERII
- LXIII DE ORDINE CONGREGATIONIS
- LXIV DE ORDINANDO ABBATE
- LXV DE PRAEPOSITO MONASTERI
- LXVI DE OSTIARIIS MONASTERII
- LXVII DE FRATRIBUS IN VIAM DIRECTIS
- LXVIII SI FRATRI IMPOSSIBILIA INIUNGANTUR
- LXIX UT IN MONASTERIO NON PRAESUMAT ALTER ALTERUM DEFENDERE
- LXX UT NON PRAESUMAT PASSIM ALIQUIS CAEDERE
- LXXI UT OBOEDIENTES SIBI SINT INVICEM
- LXXII DE ZELO BONO QUOD DEBENT MONACHI HABERE
- LXXIII DE HOC QUOD NON OMNIS IUSTITIAE OBSERVATIO IN HAC SIT REGULA CONSTITUTA


**PROLOGUS**

**1** Obsculta, o fili, praecepta magistri, et inclina aurem cordis tui, et admonitionem pii patris libenter excipe et efficaciter comple, **2** ut ad eum per oboedientiae laborem redeas, a quo per inoboedientiae desidiam recesseras. **3** Ad te ergo nunc mihi sermo dirigitur, quisquis abrenuntians propriis voluntatibus, Domino Christo vero regi militaturus, oboedientiae fortissima atque praeclara arma sumis.

**4** In primis, ut quicquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici instantissima oratione deposcas, **5** ut qui nos iam in filiorum dignatus est numero computare non debet aliquando de malis actibus nostris contristari. **6** Ita enim ei omni tempore de bonis suis in nobis parendum est ut non solum iratus pater suos non aliquando filios exheredet, **7** sed nec, ut metuendus dominus irritatus a malis nostris, ut nequissimos servos perpetuam tradat ad poenam qui eum sequi noluerint ad gloriam.

**8** Exsurgamus ergo tandem aliquando excitante nos scriptura ac dicente: Hora est iam nos de somno surgere, **9** et apertis oculis nostris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus divina cotidie clamans quid nos admonet vox dicens: **10** Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. **11** Et iterum: Qui habet aures audiendi audiat quid spiritus dicat ecclesiis. **12** Et quid dicit? Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos **13** Currite dum lumen vitae habetis, ne tenebrae mortis vos comprehendant.

**14** Et quaerens Dominus in multitudine populi cui haec clamat operarium suum, iterum dicit: **15** Quis est homo qui vult vitam et cupit videre dies bonos? **16** Quod si tu audiens respondeas: Ego, dicit tibi Deus: **17** Si vis habere veram et perpetuam vitam, prohibe linguam tuam a malo et labia tua ne loquantur dolum; deverte a malo et fac bonum, inquire pacem et sequere eam. **18** Et cum haec feceritis, oculi mei super vos et aures meas ad preces vestras, et antequam me invocetis dicam vobis: Ecce adsum. **19** Quid dulcius nobis ab hac voce Domini invitantis nos, fratres carissimi? **20** Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitae.

**21** Succinctis ergo fide vel observantia bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum evangelii pergamus itinera eius, ut mereamur eum qui nos vocavit in regnum suum videre. **22** In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus curritur, minime pervenitur. **23** Sed interrogemus cum propheta Dominum dicentes ei: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? **24** Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem et ostendentem nobis viam ipsius tabernaculi, **25** dicens: Qui ingreditur sine macula et operatur iustitiam; **26** qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua; **27** qui non fecit proximo suo malum, qui opprobrium non accepit adversus proximum suum; **28** qui malignum diabolum aliqua suadentem sibi, cum ipsa suasione sua a conspectibus cordis sui respuens, deduxit ad nihilum, et parvulos cogitatos eius tenuit et allisit ad Christum; **29** qui, timentes Dominum, de bona observantia sua non se reddunt elatos, sed ipsa in se bona non a se posse sed a Domino fieri existimantes, **30** operantem in se Dominum magnificant, illud cum propheta dicentes: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam; **31** sicut nec Paulus apostolus de praedicatione sua sibi aliquid imputavit, dicens: Gratia Dei sum id quod sum; **32** et iterum ipse dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. **33** Unde et Dominus in evangelio ait: Qui audit verba mea haec et facit ea, similabo eum viro

sapienti qui aedificavit domum suam super petram; **34** venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit, quia fundata erat super petram.

**35** Haec complens Dominus exspectat nos cotidie his suis sanctis monitis factis nos respondere debere. **36** Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitae dies ad indutias relaxantur, **37** dicente Apostolo: An nescis quia patientia Dei ad paenitentiam te adducit? **38** Nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris, sed convertatur et vivat.

**39** Cum ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audivimus habitandi praeceptum, sed si compleamus habitatoris officium. **40** Ergo praeparanda sunt corda nostra et corpora sanctae praeceptorum oboedientiae militanda, **41** et quod minus habet in nos natura possibile, rogemus Dominum ut gratiae suae iubeat nobis adiutorium ministrare. **42** Et si, fugientes gehennae poenas, ad vitam volumus pervenire perpetuam, **43** dum adhuc vacat et in hoc corpore sumus et haec omnia per hanc lucis vitam vacat implere, **44** currendum et agendum est modo quod in perpetuo nobis expediat.

**45** Constituenda est ergo nobis dominici schola servitii. **46** In qua institutione nihil asperum, nihil grave, nos constituturos speramus; **47** sed et si quid paululum restrictius, dictante aequitatis ratione, propter emendationem vitiorum vel conservationem caritatis processerit, **48** non ilico pavore perterritus refugias viam salutis quae non est nisi angusto initio incipienda. **49** Processu vero conversationis et fidei, dilatato corde inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei, **50** ut ab ipsius numquam magisterio discedentes, in eius doctrinam usque ad mortem in monasterio perseverantes, passionibus Christi per patientiam participemur, ut et regno eius mereamur esse consortes. Amen.

[INCIPIT TEXTUS REGULAE]
[Regula appellatur ab hoc quod oboedientum dirigat mores]

## I DE GENERIBUS MONACHORUM

**1** Monachorum quattuor esse genera manifestum est. **2** Primum coenobitarum, hoc est monasteriale, militans sub regula vel abbate.

**3** Deinde secundum genus est anachoritarum, id est eremitarum, horum qui non conversationis fervore novicio, sed monasterii probatione diuturna, **4** qui didicerunt contra diabolum multorum solacio iam docti pugnare, **5** et bene exstructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt.

**6** Tertium vero monachorum taeterrimum genus est sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magistra, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, **7** adhuc operibus servantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. **8** Qui bini aut terni aut certe singuli sine pastore, non dominicis sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluntas, **9** cum quicquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere.

**10** Quartum vero genus est monachorum quod nominatur gyrovagum, qui tota vita sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, **11** semper vagi et numquam stabiles, et propriis voluntatibus et gulae illecebris servientes, et per omnia deteriores sarabaitis.

**12** De quorum omnium horum miserrima conversatione melius est silere quam loqui. **13** His ergo omissis, ad coenobitarum fortissimum genus disponendum, adiuvante Domino, veniamus.

## II QUALIS DEBEAT ESSE ABBAS

**1** Abbas qui praeesse dignus est monasterio semper meminere debet quod dicitur et nomen maioris factis implere. **2** Christi enim agere vices in monasterio creditur, quando ipsius vocatur pronomine, **3** dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. **4** Ideoque abbas nihil extra praeceptum Domini quod sit debet aut docere aut constituere vel iubere, **5** sed iussio eius vel doctrina fermentum divinae iustitiae in discipulorum mentibus conspargatur, **6** memor semper abbas quia doctrinae suae vel discipulorum oboedientiae, utrarumque rerum, in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio. **7** Sciatque abbas culpae pastoris incumbere quicquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire. **8** Tantundem iterum erit ut, si inquieto vel inoboedienti gregi pastoris fuerit

omnis diligentia attributa et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, **9** pastor eorum in iudicio Domini absolutus dicat cum propheta Domino: iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi; ipsi autem contemnentes spreverunt me, **10** et tunc demum inoboedientibus curae suae ovibus poena sit eis praevalens ipsa mors.

**11** Ergo, cum aliquis suscipit nomen abbatis, duplici debet doctrina suis praeesse discipulis, **12** id est omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat, ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponere, duris corde vero et simplicioribus factis suis divina praecepta monstrare. **13** Omnia vero quae discipulis docuerit esse contraria in suis factis indicet non agenda, ne aliis praedicans ipse reprobus inveniatur, **14** ne quando illi dicat Deus peccanti: Quare tu enarras iustitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam et proiecisti sermones meos post te, 15 et: Qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti.

**16** Non ab eo persona in monasterio discernatur. **17** Non unus plus ametur quam alius, nisi quem in bonis actibus aut oboedientia invenerit meliorem. **18** Non convertenti ex servitio praeponatur ingenuus, nisi alia rationabilis causa exsistat. **19** Quod si ita, iustitia dictante, abbati visum fuerit, et de cuiuslibet ordine id faciet. Sin alias, propria teneant loca, **20** quia sive servus sive liber, omnes in Christo unum sumus et sub uno Domino aequalem servitutis militiam baiulamus, quia non est apud Deum personarum acceptio. **21** Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores ab aliis in operibus bonis et humiles inveniamur. **22** Ergo aequalis sit ab eo omnibus caritas, una praebeatur in omnibus secundum merita disciplina.

**23** In doctrina sua namque abbas apostolicam debet illam semper formam servare in qua dicit: Argue, obsecra, increpa, **24** id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum, **25** id est indisciplinatos et inquietos debet durius arguere, oboedientes autem et mites et patientes ut in melius proficiant obsecrare, neglegentes et contemnentes ut increpat et corripiat admonemus.

**26** Neque dissimulet peccata delinquentium; sed et mox ut coeperint oriri radicitus ea ut praevalet amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo. **27** Et honestiores quidem atque intellegibiles animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat, **28** improbos autem et duros ac superbos vel inoboedientes verberum vel corporis castigatio in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: Stultus verbis non corrigitur, **29** et iterum: Percute filium tuum virga et liberabis animam eius a morte.

**30** Meminere debet semper abbas quod est, meminere quod dicitur, et scire quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.

**31** Sciatque quam difficilem et arduam rem suscipit regere animas et multorum servire moribus, et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus; **32** et secundum uniuscuiusque qualitatem vel intellegentiam, ita se omnibus conformet et aptet ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum in augmentatione boni gregis gaudeat. **33** Ante omnia, ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, ne plus gerat sollicitudinem de rebus transitoriis et terrenis atque caducis, **34** sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus est. **35** Et ne causetur de minori forte substantia, meminerit scriptum: Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis, **36** et iterum: Nihil deest timentibus eum.

**37** Sciatque quia qui suscipit animas regendas paret se ad rationem reddendam, **38** et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo quia in die iudicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubio addita et suae animae. **39** Et ita, timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis sollicitus, **40** et cum de monitionibus suis emendationem aliis sumministrat ipse efficitur a vitiis emendatus.

## III DE ADHIBENDIS AD CONSILIUM FRATRIBUS

**1** Quotiens aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem et dicat ipse unde agitur, **2** et audiens consilium fratrum tractet apud se et quod utilius iudicaverit faciat. **3** Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus quia saepe iuniori Dominus revelat quod melius est.

**4** Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, et non praesumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, **5** et magis in abbatis pendat arbitrio, ut quod

salubrius esse iudicaverit ei cuncti oboediant. **6** Sed sicut discipulos convenit oboedire magistro, ita et ipsum provide et iuste condecet cuncta disponere.

**7** In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. **8** Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem, **9** neque praesumat quisquam cum abbate suo proterve aut foris monasterium contendere. **10** Quod si praesumpserit, regulari disciplinae subiaceat. **11** Ipse tamen abbas cum timore Dei et observatione regulae omnia faciat, sciens se procul dubio de omnibus iudiciis suis aequissimo iudici Deo rationem redditurum.

**12** Si qua vero minora agenda sunt in monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, **13** sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio et post factum non paeniteberis.

**IV QUAE SUNT INSTRUMENTA BONORUM OPERUM**

**1** In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute;

**2** deinde proximum tamquam seipsum. **3** Deinde non occidere, **4** non adulterare, **5** non facere furtum, **6** non concupiscere, **7** non falsum testimonium dicere, **8** honorare omnes homines, **9** et quod sibi quis fieri non vult, alio ne faciat. **10** Abnegare semetipsum sibi ut sequatur Christum. **11** Corpus castigare, **12** delicias non amplecti, **13** ieiunium amare. **14** Pauperes recreare, **15** nudum vestire, **16** infirmum visitare, **17** mortuum sepelire. **18** In tribulatione subvenire, **19** dolentem consolari. **20** Saeculi actibus se facere alienum, **21** nihil amori Christi praeponere. **22** Iram non perficere, **23** iracundiae tempus non reservare. **24** Dolum in corde non tenere, **25** pacem falsam non dare. **26** Caritatem non derelinquere. **27** Non iurare ne forte periuret, **28** veritatem ex corde et ore proferre.**29** Malum pro malo non reddere. **30** Iniuriam non facere, sed et factas patienter sufferre. **31** Inimicos diligere. **32** Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. **33** Persecutionem pro iustitia sustinere.**34** Non esse superbum, **35** non vinolentum, **36** non multum edacem, **37** non somnulentum, **38** non pigrum, **39** non murmuriosum, **40** non detractorem.**41** Spem suam Deo committere. **42** Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi; **43** malum vero semper a se factum sciat et sibi reputet.**44** Diem iudicii timere, **45** gehennam expavescere, **46** vitam aeternam omni concupiscentia spiritali desiderare, **47** mortem cotidie ante oculos suspectam habere. **48** Actus vitae suae omni hora custodire, **49** in omni loco Deum se respicere pro certo scire. **50** Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere et seniori spiritali patefacere, **51** os suum a malo vel pravo eloquio custodire, **52** multum loqui non amare,

**53** verba vana aut risui apta non loqui, **54** risum multum aut excussum non amare. **55** Lectiones sanctas libenter audire, **56** orationi frequenter incumbere, **57** mala sua praeterita cum lacrimis vel gemitu cotidie in oratione Deo confiteri, **58** de ipsis malis de cetero emendare. **59** Desideria carnis non efficere, **60** voluntatem propriam odire, **61** praeceptis abbatis in omnibus oboedire, etiam si ipse aliter-- quod absit-- agat, memores illud dominicum praeceptum: Quae dicunt facite, quae autem faciunt facere nolite. **62** Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse quod verius dicatur. **63** Praecepta Dei factis cotidie adimplere, **64** castitatem amare, **65** nullum odire, **66** zelum non habere, **67** invidiam non exercere, **68** contentionem non amare, **69** elationem fugere. **70** Et seniores venerare, **71** iuniores diligere.

**72** In Christi amore pro inimicis orare; **73** cum discordante ante solis occasum in pacem redire.**74** Et de Dei misericordia numquam desperare.

**75** Ecce haec sunt instrumenta artis spiritalis. **76** Quae cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta et in die iudicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur quam ipse promisit. **77** Quod oculus non vidit nec auris audivit, quae praeparauit Deus his qui diligunt illum. **78** Officina vero ubi haec omnia diligenter operemur claustra sunt monasterii et stabilitas in congregatione.

**V DE OBOEDIENTIA**

**1** Primus humilitatis gradus est oboedientia sine mora. **2** Haec convenit his qui nihil sibi a Christo carius aliquid existimant. **3** Propter servitium sanctum quod professi sunt seu propter metum gehennae vel gloriam vitae aeternae, **4** mox aliquid imperatum a maiore fuerit, ac si divinitus imperetur moram pati nesciant in faciendo. **5** De quibus Dominus dicit: Obauditu auris oboedivit mihi. **6** Et item dicit doctoribus: Qui vos audit me audit. **7** Erg o hi tales, relinquentes statim quae sua sunt et voluntatem propriam deserentes, **8** mox exoccupatis

manibus et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino oboedientiae pede iubentis vocem factis sequuntur, **9** et veluti uno momento praedicta magistri iussio et perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambae res communiter citius explicantur.

**10** Quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit, **11** ideo angustam viam arripiunt-- unde Dominus dicit: Angusta via est quae ducit ad vitam, **12** ut non suo arbitrio viventes vel desideriis suis et voluptatibus oboedientes, sed ambulantes alieno iudicio et imperio, in coenobiis degentes abbatem sibi praeesse desiderant. **13** Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.

**14** Sed haec ipsa oboedientia tunc acceptabilis erit Deo et dulcis hominibus, si quod iubetur non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmurio vel cum responso nolentis efficiatur, **15** quia oboedientia quae maioribus praebetur Deo exhib etur; ipse enim dixit: Qui vos audit me audit. **16** Et cum bono animo a discipulis praeberi oportet, quia hilarem datorem diligit Deus. **17** Nam, cum malo animo si oboedit discipulus et non solum ore sed etiam in corde si murmurave rit, **18** etiam si impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo qui cor eius respicit murmurantem, **19** et pro tali facto nullam consequitur gratiam; immo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

**VI DE TACITURNITATE**

**1** Faciamus quod ait propheta: Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis. **2** Hic ostendit propheta, si a bonis eloquiis interdum propter taciturnita tem debet taceri, quanto magis a malis verbis propter poenam peccati debet cessari.

**3** Ergo, quamvis de bonis et sanctis et aedificationum eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia, **4** quia scriptum est: In multiloquio non effugies peccatum, **5** et alibi: Mors et vita in manibus linguae. **6** Nam loqui et docere magistrum condecet, tacere et audire discipulum convenit.

**7** Et ideo, si qua requirenda sunt a priore, cum omni humilitate et subiectione reverentiae requirantur. **8** Scurrilitates vero vel verba otiosa et risum moventia aeterna clausura in omnibus locis damnamus et ad talia eloquia discipulum aper ire os non permittimus.

**VII DE HUMILITATE**

**1** Clamat nobis scriptura divina, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur. **2** Cum haec ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiae. **3** Quod se cavere propheta in dicat dicens: Domine, non est exaltatum cor meum neque elati sunt oculi mei, neque ambulavi in magnis neque in mirabilibus super me. **4** Sed quid si non humiliter sentiebam, si exaltavi animam meam?-- sicut ablactatum super matrem suam, ita retribues in animam meam.

**5** Unde, fratres, si summae humilitatis volumus culmen attingere et ad exaltationem illam caelestem ad quam per praesentis vitae humilitatem ascenditur volumus velociter pervenire, **6** actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est qu ae in somnio Iacob apparuit, per quam ei descendentes et ascendentes angeli monstrabantur. **7** Non aliud sine dubio descensus ille et ascensus a nobis intellegitur nisi exaltatione descendere et humilitate ascendere. **8** Scala vero ipsa erecta n ostra est vita in saeculo, quae humiliato corde a Domino erigatur ad caelum. **9** Latera enim eius scalae dicimus nostrum esse corpus et animam, in qua latera diversos gradus humilitatis vel disciplinae evocatio divina ascendendo inseruit.

**10** Primus itaque humilitatis gradus est si, timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, oblivionem omnino fugiat **11** et semper sit memor omnia quae praecepit Deus, ut qualiter et contemnentes Deum gehenna de peccatis incendat et vita aeter na quae timentibus Deum praeparata est animo suo semper evolvat. **12** Et custodiens se omni hora a peccatis et vitiis, id est cogitationum, linguae, manuum, pedum vel voluntatis propriae sed et desideria carnis, **13** aestimet se homo de caelis a Deo semper respici omni hora et facta sua omni loco ab aspectu divinitatis videri et ab angelis omni hora renuntiari.

**14** Demonstrans nobis hoc propheta, cum in cogitationibus nostris ita Deum semper praesentem ostendit dicens: Scrutans corda et renes Deus; **15** et item: Dominus nouit cogitationes hominum; **16** et item dicit: Intellexi sti cogitationes meas a longe; **17** et: Quia cogitatio hominis confitebitur tibi. **18** Nam ut sollicitus sit circa cogitationes suas perversas,

dicat semper utilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo si observavero m e ab iniquitate mea.

**19** Voluntatem vero propriam ita facere prohibemur cum dicit scriptura nobis: Et a voluntatibus tuis avertere. **20** Et item rogamus Deum in oratione ut fiat illius voluntas in nobis. **21** Docemur ergo merito nostram non facere vo luntatem cum cavemus illud quod dicit sancta scriptura: Sunt viae quae putantur ab hominibus rectae, quarum finis usque ad profundum inferni demergit, **22** et cum item pavemus illud quod de neglegentibus dictum est: Corrupti sunt et abomina biles facti sunt in voluntatibus suis.

**23** In desideriis vero carnis ita nobis Deum credamus semper esse praesentem cum dicit propheta Domino: Ante te est omne desiderium meum. **24** Cavendum ergo ideo malum desiderium quia mors secus introitum delectationis posita est. **25** Unde scriptura praecepit dicens: Post concupiscentias tuas non eas.

**26** Ergo si oculi Domini speculantur bonos et malos 27 et Dominus de caelo semper respicit super filios hominum, ut videat si est intellegens aut requirens Deum, **28** et si ab angelis nobis deputatis cotidie die noctuque Domino factor um nostrorum opera nuntiantur, **29** cavendum est ergo omni hora, fratres, sicut dicit in psalmo propheta, ne nos declinantes in malo et inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus **30** et, parcendo nobis in hoc tempore quia pius est et exsp ectat nos converti in melius, ne dicat nobis in futuro: Haec fecisti et tacui.

**31** Secundus humilitatis gradus est si propriam quis non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere, **32** sed vocem illam Domini factis imitetur dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit. **33** It em dicit scriptura: Voluntas habet poenam et necessitas parit coronam.

**34** Tertius humilitatis gradus est ut quis pro Dei amore omni oboedientia se subdat maiori, imitans Dominum, de quo dicit apostolus: Factus oboediens usque ad mortem.

**35** Quartus humilitatis gradus est si, in ipsa oboedientia duris et contrariis rebus vel etiam quibuslibet irrogatis iniuriis, tacite conscientia patientiam amplectatur **36** et sustinens non lassescat vel discedat, dicente scriptura: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; **37** item: Confortetur cor tuum et sustine Dominum. **38** Et ostendens fidelem pro Domino universa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium: Propter te morte af ficimur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis. **39** Et securi de spe retributionis divinae subsequuntur gaudentes et dicentes: Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. **40** Et item alio loco scriptura: Prob asti nos, Deus, igne nos examinasti sicut igne examinatur argentum; induxisti nos in laqueum; posuisti tribulationes in dorso nostro. **41** Et ut ostendat sub priore debere nos esse, subsequitur dicens: Imposuisti homines super capita nostra.

**42** Sed et praeceptum Domini in adversis et iniuriis per patientiam adimplentes, qui percussi in maxillam praebent et aliam, auferenti tunicam dimittunt et pallium, angariati miliario vadunt duo, **43** cum Paulo Apostolo falsos fratres sustin ent et persecutionem sustinent et maledicentes se benedicent.

**44** Quintus humilitatis gradus est si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes vel mala a se absconse commissa per humilem confessionem abbatem non celaverit suum. **45** Hortans nos de hac re scriptura dicens: Revela ad Dominum viam tuam et spera in eum. **46** Et item dicit: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. **47** Et item propheta: Delictum meum cognitum tibi feci et iniustitias meas non operui. **48** Dixi: Pronu ntiabo adversum me iniustias meas Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei.

**49** Sextus humilitatis gradus est si omni vilitate vel extremitate contentus sit monachus, et ad omnia quae sibi iniunguntur velut operarium malum se iudicet et indignum, **50** dicens sibi cum propheta: Ad nihilum redactus sum et nescivi, ut iumentum factus sum apud te et ego semper tecum.

**51** Septimus humilitatis gradus est si omnibus se inferiorem et viliorem non solum sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, **52** humilians se et dicens cum propheta: Ego autem sum uermis et non homo, opprobrium homin um et abiectio plebis. 53 Exaltatus sum et humiliatus et confusus. **54** Et item: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam mandata tua.

**55** Octavus humilitatis gradus est si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula vel maiorum cohortantur exempla.

**56** Nonus humilitatis gradus est si linguam ad loquendum prohibeat monachus et, taciturnitatem habens, usque ad interrogationem non loquatur, **57** monstrante scriptura quia in multiloquio non effugitur peccatum, **58** et quia v ir linguosus non dirigitur super terram.

**59** Decimus humilitatis gradus est si non sit facilis ac promptus in risu, quia scriptum est: Stultus in risu exaltat vocem suam.

**60** Undecimus humilitatis gradus est si, cum loquitur monachus, leniter et sine risu, humiliter cum gravitate vel pauca verba et rationabilia loquatur, et non sit clamosus in voce, **61** sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis.

**62** Duodecimus humilitatis gradus est si non solum corde monachus sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet, **63** id est in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro vel ubicumque sedens, ambulans vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, **64** reum se omni hora de peccatis suis aestimans iam se tremendo iudicio repraesentari aestimet, **65** dicens sibi in corde semper illud quod publicanus ille evangelicus fixi s in terram oculis dixit: Domine, non sum dignus, ego peccator, levare oculos meos ad caelos. **66** Et item cum Propheta: Incurvatus sum et humiliatus sum usquequaque.

**67** Ergo, his omnibus humilitatis gradibus ascensis, monachus mox ad caritatem Dei perveniet illam quae perfecta foris mittit timorem, **68** per quam universa quae prius non sine formidine observabat absque ullo labore velut naturalite r ex consuetudine incipiet custodire, **69** non iam timore gehennae, sed amore Christi et consuetudine ipsa bona et delectatione virtutum. **70** Quae Dominus iam in operarium suum mundum a vitiis et peccatis Spiritu Sancto dignabitur demonstrare.< /P>

## VIII DE OFFICIIS DIVINIS IN NOCTIBUS

**1** Hiemis tempore, id est a kalendas Novembres usque in Pascha, iuxta considerationem rationis, octava hora noctis surgendum est,

**2** ut modice amplius de media nocte pausetur et iam digesti surgant.

**3** Quod vero restat post vigilias a fratribus qui psalterii vel lectionum aliquid indigent meditationi inserviatur.

**4** A Pascha autem usque ad supradictas Novembres, sic temperetur hora ut vigiliarum agenda parvissimo intervallo, quo fratres ad necessaria naturae exeant, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

## IX QUANTI PSALMI DICENDI SUNT NOCTURNIS HORIS

**1** Hiemis tempore suprascripto, in primis versu tertio dicendum: Domine, labia mea aperies, et os meum adnuntiabit laudem tuam.

**2** Cui subiungendus est tertius psalmus et gloria.

**3** Post hunc, psalmum nonagesimum quartum cum antiphona, aut certe decantandum.

**4** Inde sequatur ambrosianum, deinde sex psalmi cum antiphonas.

**5** Quibus dictis, dicto versu, benedicat abbas et, sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim a fratribus in codice super analogium tres lectiones, inter quas et tria responsoria cantentur:

**6** duo responsoria sine gloria dicantur; post tertiam vero lectionem, qui cantat dicat gloriam.

**7** Quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilia sua surgant, ob honorem et reverentiam sanctae Trinitatis.

**8** Codices autem legantur in vigiliis divinae auctoritatis, tam veteris testamenti quam novi, sed et expositiones earum, quae a nominatis et orthodoxis catholicis patribus factae sunt.

**9** Post has vero tres lectiones cum responsoria sua, sequantur reliqui sex psalmi, cum alleluia canendi. **10** Post hos, lectio apostoli sequatur, ex corde recitanda, et versus, et supplicatio litaniae, id est Kyrie eleison. **11** Et sic finiantur vigiliae nocturnae.

## X QUALITER AESTATIS TEMPORE AGATUR NOCTURNA LAUS

**1** A Pascha autem usque ad kalendas Novembres, omnis ut supra dictum est psalmodiae quantitas teneatur, **2** excepto quod lectiones in codice, propter brevitatem noctium, minime legantur, sed pro ipsis tribus lectionibus una de veteri testamento memoriter dicatur, quam brevis responsorius subsequatur. **3** Et reliqua omnia ut dictum est impleantur, id est ut numquam minus a duodecim psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicantur, exceptis tertio et nonagesimo quarto psalmo.

## XI QUALITER DIEBUS DOMINICIS VIGILIAE AGANTUR

**1** Dominico die temperius surgatur ad vigilias. **2** In quibus vigiliis teneatur mensura, id est, modulatis ut supra disposuimus sex psalmis et versu, residentibus cunctis disposite et per ordinem in subselliis, legantur in codice, ut supra diximus, quattuor lectiones cum responsoriis suis. **3** Ubi tantum in quarto responsorio dicatur a cantante gloria; quam dum incipit, mox omnes cum reverentia surgant.

**4** Post quibus lectionibus sequantur ex ordine alii sex psalmi cum antiphonas sicut anteriores, et versu. **5** Post quibus iterum legantur aliae quattuor lectiones cum responsoriis suis, ordine quo supra.

**6** Post quibus dicantur tria cantica de prophetarum, quas instituerit abbas; quae cantica cum alleluia psallantur.

**7** Dicto etiam versu et benedicente abbate, legantur aliae quattuor lectiones de novo testamento, ordine quo supra. **8** Post quartum autem responsorium incipiat abbas hymnum Te Deum laudamus. **9** Quo perdicto, legat abbas lectionem de Evangelia, cum honore et timore stantibus omnibus. **10** Qua perlecta, respondeant omnes Amen, et subsequatur mox abbas hymnum Te decet laus, et data benedictione incipiant matutinos.

**11** Qui ordo vigiliarum omni tempore tam aestatis quam hiemis aequaliter in die dominico teneatur. **12** Nisi forte -- quod absit -- tardius surgant: aliquid de lectionibus breviandum est, aut responsoriis. **13** Quod tamen omnino caveatur ne proveniat. Quod si contigerit, digne inde satisfaciat Deo in oratorio per cuius evenerit neglectum.

## XII QUOMODO MATUTINORUM SOLLEMNITAS AGATUR

**1** In matutinis dominico die, in primis dicatur sexagesimus sextus psalmus, sine antiphona, in directum. **2** Post quem dicatur quinquagesimus cum alleluia. **3** Post quem dicatur centesimus septimus decimus et sexagesimus secundus. **4** Inde benedictiones et laudes, lectionem de Apocalypsis una ex corde, et responsorium, ambrosianum, versu, canticum de Evangelia, litania, et completum est.

## XIII PRIVATIS DIEBUS QUALITER AGANTUR MATUTINI

**1** Diebus autem privatis, matutinorum sollemnitas ita agatur, **2** id est, ut sexagesimus sextus psalmus dicatur sine antiphona, subtrahendo modice, sicut dominica, ut omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum antiphona dicatur. **3** Post quem alii duo psalmi dicantur secundum consuetudinem, id est: **4** secunda feria, quintum et tricesimum quintum; **5** tertia feria, quadragesimum secundum et quinquagesimum sextum; **6** quarta feria, sexagesimum tertium et sexagesimum quartum; **7** quinta feria, octogesimum septimum et octogesimum nonum; **8** sexta feria, septuagesimum quintum et nonagesimum primum; **9** sabbatorum autem, centesimum quadragesimum secundum et canticum Deuteronomium qui dividatur in duas glorias. **10** Nam ceteris diebus canticum unumquemque die suo ex prophetis sicut psallit ecclesia Romana dicantur. **11** Post haec sequantur laudes; deinde lectio una apostoli memoriter recitanda, responsorium, ambrosianum, versu, canticum de Evangelia, litania et completum est.

**12** Plane agenda matutina vel vespertina non transeat aliquando, nisi in ultimo per ordinem oratio dominica, omnibus audientibus, dicatur a priore, propter scandalorum spinas quae oriri solent, **13** ut conventi per ipsius orationis sponsionem qua dicunt: Dimitte nobis sicut et nos dimittimus, purgent se ab huiusmodi vitio. **14** Ceteris vero agendis, ultima pars eius orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur: Sed libera nos a malo.

## XIV IN NATALICIIS SANCTORUM QUALITER AGANTUR VIGILIAE

**1** In sanctorum vero festivitatibus, vel omnibus sollemnitatibus, sicut diximus dominico die agendum, ita agatur, **2** excepto quod psalmi aut antiphonae vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur; modus autem suprascriptus teneatur.

## XV ALLELUIA QUIBUS TEMPORIBUS DICATUR

**1** A sanctum Pascha usque Pentecosten, sine intermissione dicatur alleluia, tam in psalmis quam in responsoriis. **2** A Pentecosten autem usque caput quadragesimae, omnibus noctibus, cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnos dicatur. **3** Omni vero dominica extra quadragesima, cantica, matutinos, prima, tertia, sexta nonaque cum alleluia dicatur, vespera

vero iam antiphona. **4** Responsoria vero numquam dicantur cum alleluia, nisi a Pascha usque Pentecosten.

**XVI QUALITER DIVINA OPERA PER DIEM AGANTUR**

**1** Ut ait propheta: septies in die laudem dixi tibi. **2** Qui septenarius sacratus numerus a nobis sic implebitur, si matutino, primae, tertiae, sextae, nonae, vesperae completoriique tempore nostrae servitutis officia persolvamus, **3** quia de his diurnis horis dixit: Septies in die laudem dixi tibi. **4** Nam de nocturnis vigiliis idem ipse propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi.

**5** Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super iudicia iustitiae suae, id est matutinis, prima, tertia, sexta, nona, vespera, completorios, et nocte surgamus ad confitendum ei.

**XVII QUOT PSALMI PER EASDEM HORAS CANENDI SUNT**

**1** Iam de nocturnis vel matutinis digessimus ordinem psalmodiae; nunc de sequentibus horis videamus.

**2** Prima hora dicantur psalmi tres singillatim et non sub una gloria, **3** hymnum eiusdem horae post versum Deus in adiutorium antequam psalmi incipiantur. **4** Post expletionem vero trium psalmorum recitetur lectio una, versu et Kyrie eleison et missas.

**5** Tertia vero, sexta et nona, item eo ordine celebretur oratio, id est versu, hymnos earundem horarum, ternos psalmos, lectionem et versu, Kyrie eleison et missas. **6** Si maior congregatio fuerit, cum antiphonas, si vero minor, in directum psallantur.

**7** Vespertina autem synaxis quattuor psalmis cum antiphonis terminetur. **8** Post quibus psalmis, lectio recitanda est; inde responsorium, ambrosianum, versu, canticum de Evangelia, litania, et oratione dominica fiant missae.

**9** Completorios autem trium psalmorum dictione terminentur. Qui psalmi directanei sine antiphona dicendi sunt. **10** Post quos hymnum eiusdem horae, lectionem unam, versu, Kyrie eleison, et benedictione missae fiant.

**XVIII QUO ORDINE IPSI PSALMI DICENDI SUNT**

**1** In primis dicatur versu Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina, gloria, inde hymnum uniuscuiusque horae. **2** Deinde, prima hora dominica, dicenda quattuor capitula psalmi centesimi octavi decimi; **3** reliquis vero horis, id est tertia, sexta vel nona, terna capitula suprascripti psalmi centesimi octavi decimi dicantur.

**4** Ad primam autem secundae feriae, dicantur tres psalmi, id est primus, secundus et sextus; **5** et ita per singulos dies ad primam usque dominica dicantur per ordinem terni psalmi usque nonum decimum psalmum, ita sane ut nonus psalmus et septimus decimus partiantur in binos. **6** Et sic fit ut ad vigilias dominica semper a vicesimo incipiatur.

**7** Ad tertiam vero, sextam nonamque secundae feriae, novem capitula quae residua sunt de centesimo octavo decimo, ipsa terna per easdem horas dicantur.

**8** Expenso ergo psalmo centesimo octavo decimo duobus diebus, id est dominico et secunda feria, **9** tertia feria iam ad tertiam, sextam vel nonam psallantur terni psalmi a centesimo nono decimo usque centesimo vicesimo septimo, id est psalmi novem. **10** Quique psalmi semper usque dominica per easdem horas itidem repetantur, hymnorum nihilominus, lectionum vel versuum dispositionem uniformem cunctis diebus servatam. **11** Et ita scilicet semper dominica a centesimo octavo decimo incipietur.

**12** Vespera autem cotidie quattuor psalmorum modulatione canatur. **13** Qui psalmi incipiantur a centesimo nono usque centesimo quadragesimo septimo, **14** exceptis his qui in diversis horis ex eis sequestrantur, id est a centesimo septimo decimo usque centesimo vicesimo septimo et centesimo tricesimo tertio et centesimo quadragesimo secundo; **15** reliqui omnes in vespera dicendi sunt. **16** Et quia minus veniunt tres psalmi, ideo dividendi sunt qui ex numero suprascripto fortiores inveniuntur, id est centesimum tricesimum octavum et centesimum quadragesimum tertium et centesimum quadragesimum quartum; **17** centesimus vero sextus decimus, quia parvus est, cum centesimo quinto decimo coniungatur.

**18** Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorum, reliqua, id est lectionem, responsum, hymnum, versum vel canticum, sicut supra taxavimus impleatur.

**19** Ad completorios vero cotidie idem psalmi repetantur, id est quartum, nonagesimum et centesimum tricesimum tertium.

**20** Disposito ordine psalmodiae diurnae, reliqui omnes psalmi qui supersunt aequaliter dividantur in septem noctium vigilias, **21** partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi et duodecim per unamquamque constituens noctem.

**22** Hoc praecipue commonentes ut, si cui forte haec distributio psalmorum displicuerit, ordinet si melius aliter iudicaverit, **23** dum omnimodis id adtendat ut omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallantur, et dominico die semper a caput reprehendatur ad vigilias. **24** Quia nimis inertem devotionis suae servitium ostendunt monachi qui minus a psalterio cum canticis consuetudinariis per septimanae circulum psallunt, **25** dum quando legamus sanctos patres nostros uno die hoc strenue implesse, quod nos tepidi utinam septimana integra persolvamus.

## XIX DE DISCIPLINA PSALLENDI

**1** Ubique credimus divinam esse praesentiam et oculos Domini in omni loco speculari bonos et malos, **2** maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus cum ad opus divinum assistimus. **3** Ideo semper memores simus quod ait propheta: Servite Domino in timore, **4** et iterum: Psallite sapienter, **5** et: In conspectu angelorum psallam tibi. **6** Ergo consideremus qualiter oporteat in conspectu divinitatis et angelorum eius esse, **7** et sic stemus ad psallendum ut mens nostra concordet voci nostrae.

## XX DE REVERENTIA ORATIONIS

**1** Si, cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate et reverentia, **2** quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est. **3** Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrimarum nos exaudiri sciamus.

**4** Et ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae protendatur. **5** In conventu tamen omnino brevietur oratio, et facto signo a priore omnes pariter surgant.

## XXI DE DECANIS MONASTERII

**1** Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonii et sanctae conversationis, et constituantur decani, **2** qui sollicitudinem gerant super decanias suas in omnibus secundum mandata Dei et praecepta abbatis sui. **3** Qui decani tales eligantur in quibus securus abbas partiat onera sua, **4** et non eligantur per ordinem, sed secundum vitae meritum et sapientiae doctrinam.

**5** Quique decani, si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel et iterum atque tertio si emendare noluerit, deiciatur, **6** et alter in loco eius qui dignus est surrogetur.

**7** Et de praeposito eadem constituimus.

## XXII QUOMODO DORMIANT MONACHI

**1** Singuli per singula lecta dormiant. **2** Lectisternia pro modo conversationis secundum dispensationem abbatis sui accipiant.

**3** Si potest fieri omnes in uno loco dormiant; sin autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus qui super eos solliciti sint pausent. **4** Candela iugiter in eadem cella ardeat usque mane.

**5** Vestiti dormiant et cincti cingellis aut funibus, ut cultellos suos ad latus suum non habeant dum dormiunt, ne forte per somnum vulnerent dormientem; **6** et ut parati sint monachi semper et, facto signo absque mora surgentes, festinent invicem se praevenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia.

**7** Adulescentiores fratres iuxta se non habeant lectos, sed permixti cum senioribus. **8** Surgentes vero ad opus Dei invicem se moderate cohortentur propter somnulentorum excusationes.

## XXIII DE EXCOMMUNICATIONE CULPARUM

**1** Si quis frater contumax aut inoboediens aut superbus aut murmurans vel in aliquo contrarius exsistens sanctae regulae et praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, **2** hic secundum Domini nostri praeceptum admoneatur semel et secundo secrete a senioribus suis. **3** Si non emendaverit, obiurgetur publice coram omnibus. **4** Si vero neque sic correxerit, si intellegit qualis poena sit, excommunicationi subiaceat; **5** sin autem improbus est, vindictae corporali subdatur.

## XXIV QUALIS DEBET ESSE MODUS EXCOMMUNICATIONIS

**1** Secundum modum culpae, et excommunicationis vel disciplinae mensura debet extendi; **2** qui culparum modus in abbatis pendat iudicio.

**3** Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur, a mensae participatione privetur. **4** Privati autem a mensae consortio ista erit ratio ut in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat, neque lectionem recitet, usque ad satisfactionem. **5** Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat, **6** ut, si verbi gratia fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona, si fratres nona, ille vespera, **7** usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

## XXV DE GRAVIORIBUS CULPIS

**1** Is autem frater qui gravioris culpae noxa tenetur suspendatur a mensa, simul ab oratorio. **2** Nullus ei fratrum in nullo iungatur consortio nec in colloquio. **3** Solus sit ad opus sibi iniunctum, persistens in paenitentiae luctu, sciens illam terribilem apostoli sententiam dicentis **4** traditum eiusmodi hominem in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. **5** Cibi autem refectionem solus percipiat, mensura vel hora qua praeviderit abbas ei competere; **6** nec a quoquam benedicatur transeunte nec cibum quod ei datur.

## XXVI DE HIS QUI SINE IUSSIONE IUNGUNT SE EXCOMMUNICATIS

**1** Si quis frater praesumpserit sine iussione abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere aut loqui cum eo vel mandatum ei dirigere, **2** similem sortiatur excommunicationis vindictam.

## XXVII QUALITER DEBEAT ABBAS SOLLICITUS ESSE CIRCA EXCOMMUNICATOS

**1** Omni sollicitudine curam gerat abbas circa delinquentes fratres, quia non est opus sanis medicus sed male habentibus. **2** Et ideo uti debet omni modo ut sapiens medicus, immittere senpectas, id est seniores sapientes fratres, **3** qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem et provocent ad humilitatis satisfactionem et consolentur eum ne abundantiori tristitia absorbeatur, **4** sed, sicut ait item apostolus, confirmetur in eo caritas et oretur pro eo ab omnibus.

**5** Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas et omni sagacitate et industria currere, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. **6** Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem; **7** et metuat prophetae comminationem per quam dicit Deus: Quod crassum videbatis assumebatis et quod debile erat proiciebatis. **8** Et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui, relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem quae erraverat quaerere; **9** cuius infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere et sic reportare ad gregem.

## XXVIII DE HIS QUI SAEPIUS CORREPTI EMENDARE NOLUERINT

**1** Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correptio, id est ut verberum vindicta in eum procedant. **2** Quod si nec ita correxerit, aut forte-- quod absit-- in superbia elatus etiam defendere voluerit opera sua, tunc abbas faciat quod sapiens medicus: **3** si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis vel plagarum virgae, **4** et iam si viderit nihil suam praevalere industriam, adhibeat etiam-- quod maius est-- suam et omnium fratrum pro eo orationem, **5** ut Dominus qui omnia potest operetur salutem circa infirmum fratrem. **6** Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam utatur abbas ferro abscisionis, ut ait Apostolus: Auferte malum ex vobis, **7** et iterum: Infidelis, si discedit, discedat, **8** ne una ovis morbida omnem gregem contagiet.

## XXIX SI DEBEANT FRATRES EXEUNTES DE MONASTERIO ITERUM RECIPI

**1** Frater qui proprio vitio egreditur de monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem pro quo egressus est, **2** et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc eius humilitas comprobetur. **3** Quod si denuo exierit, usque tertio ita recipiatur, iam postea sciens omnem sibi reversionis aditum denegari.

## XXX DE PUERIS MINORI AETATE, QUALITER CORRIPIANTUR

**1** Omnis aetas vel intellectus proprias debet habere mensuras. **2** Ideoque, quotiens pueri vel adulescentiores aetate, aut qui minus intellegere possunt quanta poena sit excommunicationis, **3** hi tales dum delinquunt, aut ieiuniis nimiis affligantur aut acris verberibus coerceantur, ut sanentur.

## XXXI DE CELLARARIO MONASTERII, QUALIS SIT

**1** Cellararius monasterii eligatur de congregatione, sapiens, maturis moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, **2** sed timens Deum; qui omni congregationi sit sicut pater.

**3** Curam gerat de omnibus; **4** sine iussione abbatis nihil faciat. **5** Quae iubentur custodiat; **6** fratres non contristet. **7** Si quis frater ab eo forte aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget.

**8** Animam suam custodiat, memor semper illud apostolicum quia qui bene ministraverit gradum bonum sibi acquirit. **9** Infirmorum, infantum, hospitum pauperumque cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio quia pro his omnibus in die iudicii rationem redditurus est.

**10** Omnia vasa monasterii cunctamque substantiam ac si altaris vasa sacrata conspiciat. **11** Nihil ducat neglegendum. **12** Neque avaritiae studeat, neque prodigus sit et stirpator substantiae monasterii, sed omnia mensurate faciat et secundum iussionem abbatis.

**13** Humilitatem ante omnia habeat, et cui substantia non est quod tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus, **14** ut scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. **15** Omnia quae ei iniunxerit abbas, ipsa habeat sub cura sua; a quibus eum prohibuerit, non praesumat. **16** Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho vel mora offerat, ut non scandalizentur, memor divini eloquii quid mereatur qui scandalizaverit unum de pusillis.

**17** Si congregatio maior fuerit, solacia ei dentur, a quibus adiutus et ipse aequo animo impleat officium sibi commissum. **18** Horis competentibus dentur quae danda sunt et petantur quae petenda sunt, **19** ut nemo perturbetur neque contristetur in domo Dei.

## XXXII DE FERRAMENTIS VEL REBUS MONASTERII

**1** Substantia monasterii in ferramentis vel vestibus seu quibuslibet rebus praevideat abbas fratres de quorum vita et moribus securus sit, **2** et eis singula, ut utile iudicaverit, consignet custodienda atque recolligenda. **3** Ex quibus abbas brevem teneat, ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quid dat aut quid recipit.

**4** Si quis autem sordide aut neglegenter res monasterii tractaverit, corripiatur; **5** si non emendaverit, disciplinae regulari subiaceat.

## XXXIII SI QUID DEBEANT MONACHI PROPRIUM HABERE

**1** Praecipue hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio, **2** ne quis praesumat aliquid dare aut accipere sine iussione abbatis, **3** neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino, **4** quippe quibus nec corpora sua nec voluntates licet habere in propria voluntate; **5** omnia vero necessaria a patre sperare monasterii, nec quicquam liceat habere quod abbas non dederit aut permiserit.

**6** Omniaque omnium sint communia, ut scriptum est, ne quisquam suum aliquid dicat vel praesumat.

**7** Quod si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel et iterum; **8** si non emendaverit, correptioni subiaceat.

## XXXIV SI OMNES AEQUALITER DEBEANT NECESSARIA ACCIPERE

**1** Sicut scriptum est: Dividebatur singulis prout cuique opus erat. **2** Ubi non dicimus ut personarum-- quod absit-- acceptio sit, sed infirmitatum consideratio; **3** ubi qui minus indiget

agat Deo gratias et non contristetur, **4** qui vero plus indiget humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia; **5** et ita omnia membra erunt in pace.

**6** Ante omnia, ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo vel significatione appareat; **7** quod si deprehensus fuerit, districtiori disciplinae subdatur.

**XXXV DE SEPTIMANARIIS COQUINAE**

**1** Fratres sibi invicem serviant, ut nullus excusetur a coquinae officio, nisi aut aegritudo, aut in causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit, **2** quia exinde maior merces et caritas acquiritur. **3** Imbecillibus autem procurentur solacia, ut non cum tristitia hoc faciant; **4** sed habeant omnes solacia secundum modum congregationis aut positionem loci. **5** Si maior congregatio fuerit, cellararius excusetur a coquina, vel si qui, ut diximus, maioribus utilitatibus occupantur; **6** ceteri sibi sub caritate invicem serviant.

**7** Egressurus de septimana sabbato munditias faciat. **8** Lintea cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt lavent. **9** Pedes vero tam ipse qui egreditur quam ille qui intraturus est omnibus lavent. **10** Vasa ministerii sui munda et sana cellarario reconsignet; **11** qui cellararius item intranti consignet, ut sciat quod dat aut quod recipit.

**12** Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulas biberes et panem, **13** ut hora refectionis sine murmuratione et gravi labore serviant fratribus suis. **14** In diebus tamen sollemnibus usque ad missas sustineant.

**15** Intrantes et exeuntes hebdomadarii in oratorio mox matutinis finitis dominica omnibus genibus provolvantur postulantes pro se orari. **16** Egrediens autem de septimana dicat hunc versum: Benedictus es, Domine Deus, qui adiuvasti me et consolatus es me; **17** quo dicto tertio accepta benedictione egrediens, subsequatur ingrediens et dicat: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina, **18** et hoc idem tertio repetatur ab omnibus et accepta benedictione ingrediatur.

**XXXVI DE INFIRMIS FRATRIBUS**

**1** Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo ita eis serviatur, **2** quia ipse dixit: Infirmus fui et visitastis me, **3** et: Quod fecistis uni de his minimis mihi fecistis. **4** Sed et ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi servire, et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes sibi; **5** qui tamen patienter portandi sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. **6** Ergo cura maxima sit abbati ne aliquam neglegentiam patiantur.

**7** Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata et servitor timens Deum et diligens ac sollicitus. **8** Balnearum usus infirmis quotiens expedit offeratur --sanis autem et maxime iuvenibus tardius concedatur. **9** Sed et carnium esus infirmis omnino debilibus pro reparatione concedatur; at, ubi meliorati fuerunt, a carnibus more solito omnes abstineant.

**10** Curam autem maximam habeat abbas ne a cellarariis aut a servitoribus neglegantur infirmi. Et ipsum respicit quicquid a discipulis delinquitur.

**XXXVII DE SENIBUS VEL INFANTIBUS**

**1** Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his aetatibus, senum videlicet et infantum, tamen et regulae auctoritas eis prospiciat. **2** Consideretur semper in eis imbecillitas et ullatenus eis districtio regulae teneatur in alimentis, **3** sed sit in eis pia consideratio et praeveniant horas canonicas.

**XXXVIII DE HEBDOMADARIO LECTORE**

**1** Mensis fratrum lectio deesse non debet, nec fortuito casu qui arripuerit codicem legere ibi, sed lecturus tota hebdomada dominica ingrediatur. **2** Qui ingrediens post missas et communionem petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis, **3** et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine, labia mea aperies, et os meum adnuntiabit laudem tuam; **4** et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum.

**5** Et summum fiat silentium, ut nullius mussitatio vel vox nisi solius legentis ibi audiatur. **6** Quae vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus sic sibi vicissim ministrent fratres ut nullus indigeat petere aliquid; **7** si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscumque signi potius petatur quam voce. **8** Nec praesumat ibi aliquis de ipsa lectione aut aliunde quicquam requirere, ne detur occasio; **9** nisi forte prior pro aedificatione voluerit aliquid breviter dicere.

**10** Frater autem lector hebdomadarius accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam, et ne forte grave sit ei ieiunium sustinere. **11** Postea autem cum coquinae hebdomadariis et servitoribus reficiat.

**12** Fratres autem non per ordinem legant aut cantent, sed qui aedificant audientes.

**XXXIX DE MENSURA CIBUS**

**1** Sufficere credimus ad refectionem cotidianam tam sextae quam nonae, omnibus mensis, cocta duo pulmentaria, propter diversorum infirmitatibus, **2** ut forte qui ex illo non potuerit edere ex alio reficiatur. **3** Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant et, si fuerit unde poma aut nascentia leguminum, addatur et tertium.

**4** Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio sive prandii et cenae: **5** quod si cenaturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellarario servetur reddenda cenandis.

**6** Quod si labor forte factus fuerit maior, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat, aliquid augere, **7** remota prae omnibus crapula et ut numquam surripiat monacho indigeries, **8** quia nihil sic contrarium est omni christiano quomodo crapula, **9** sicut ait Dominus noster: Videte ne graventur corda vestra crapula.

**10** Pueris vero minori aetate non eadem servetur quantitas, sed minor quam maioribus, servata in omnibus parcitate.

**11** Carnium vero quadrupedum omnimodo ab omnibus abstineatur comestio, praeter omnino debiles aegrotos.

**XL DE MENSURA POTUS**

**1** Unusquisque proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic; **2** et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur. **3** Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. **4** Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiae, propriam se habituros mercedem sciant.

**5** Quod si aut loci necessitas vel labor aut ardor aestatis amplius poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans in omnibus ne surrepat satietas aut ebrietas. **6** Licet legamus vinum omnino monachorum non esse, sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius, **7** quia vinum apostatare facit etiam sapientes.

**8** Ubi autem necessitas loci exposcit ut nec suprascripta mensura inveniri possit, sed multo minus aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant et non murmurent. **9** Hoc ante omnia admonentes ut absque murmurationibus sint.

**XLI QUIBUS HORIS OPORTET REFICERE FRATRES**

**1** A sancto Pascha usque Pentecosten, ad sextam reficiant fratres et sera cenent.

**2** A Pentecosten autem, tota aestate, si labores agrorum non habent monachi aut nimietas aestatis non perturbat, quarta et sexta feria ieiunent usque ad nonam; **3** reliquis diebus ad sextam prandeant; **4** quam prandii sextam, si operis in agris habuerint aut aestatis fervor nimius fuerit, continuanda erit et in abbatis sit providentia. **5** Et sic omnia temperet atque disponat qualiter et animae salventur et quod faciunt fratres absque iusta murmuratione faciant.

**6** Ab idus autem Septembres usque caput quadragesimae, ad nonam semper reficiant.

**7** In quadragesima vero usque in Pascha, ad vesperam reficiant; **8** ipsa tamen vespera sic agatur ut lumen lucernae non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur. **9** Sed et omni tempore, sive cena sive refectionis hora sic temperetur ut luce fiant omnia.

**XLII UT POST COMPLETORIUM NEMO LOQUATUR**

**1** Omni tempore silentium debent studere monachi, maxime tamen nocturnis horis. **2** Et ideo omni tempore, sive ieiunii sive prandii: **3** si tempus fuerit prandii, mox surrexerint a cena, sedeant omnes in unum et legat unus Collationes vel Vitas Patrum aut certe aliud quod aedificet audientes, **4** non autem Heptateuchum aut Regum, quia infirmis intellectibus non erit utile illa hora hanc scripturam audire, aliis vero horis legantur.

**5** Si autem ieiunii dies fuerit, dicta vespera parvo intervallo mox accedant ad lectionem Collationum, ut diximus. **6** Et lectis quattuor aut quinque foliis vel quantum hora permittit, **7** omnibus in unum occurrentibus per hanc moram lectionis, si qui forte in assignato sibi

commisso fuit occupatus, **8** omnes ergo in unum positi compleant et, exeuntes a completoriis, nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid.

**9** Quod si inventus fuerit quisquam praevaricare hanc taciturnitatis regulam, gravi vindictae subiaceat -- **10** excepto si necessitas hospitum supervenerit aut forte abbas alicui aliquid iusserit, **11** quod tamen et ipsud cum summa gravitate et moderatione honestissima fiat.

## XLIII DE HIS QUI AD OPUS DEI VEL AD MENSAM TARDE OCCURRUNT

**1** Ad horam divini officii, mox auditus fuerit signus, relictis omnibus quaelibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, **2** cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat fomitem.

**3** Ergo nihil operi Dei praeponatur.

**4** Quod si quis in nocturnis vigiliis post gloriam psalmi nonagesimi quarti, quem propter hoc omnino subtrahendo et morose volumus dici, occurrerit, non stet in ordine suo in choro, **5** sed ultimus omnium stet aut in loco quem talibus neglegentibus seorsum constituerit abbas, ut videantur ab ipso vel ab omnibus, **6** usque dum completo opere Dei publica satisfactione paeniteat. **7** Ideo autem eos in ultimo aut seorsum iudicavimus debere stare ut, visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendent; **8** nam, si foris oratorium remaneant, erit forte talis qui se aut recollocet et dormit, aut certe sedit sibi foris vel fabulis vacat, et datur occasio maligno; **9** sed ingrediantur intus, ut nec totum perdant et de reliquo emendent.

**10** Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post versum et gloriam primi psalmi qui post versum dicitur non occurrerit, lege qua supra diximus in ultimo stent, **11** nec praesumant sociari choro psallentium usque ad satisfactionem, nisi forte abbas licentiam dederit remissione sua, **12** ita tamen ut satisfaciat reus ex hoc.

**13** Ad mensam autem qui ante versu non occurrerit, ut simul omnes dicant versu et orent et sub uno omnes accedant ad mensam, **14** qui per neglegentiam suam aut vitio non occurrerit, usque secunda vice pro hoc corripiatur; **15** si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensae communis participationem, **16** sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus, sublata ei portione sua vinum, usque ad satisfactionem et emendationem.

**17** Similiter autem patiatur qui et ad illum versum non fuerit praesens qui post cibum dicitur.

**18** Et ne quis praesumat ante statutam horam vel postea quicquam cibi aut potus praesumere; **19** sed et cui offertur aliquid a priore et accipere renuit, hora qua desideraverit hoc quod prius recusavit aut aliud, omnino nihil percipiat usque ad emendationem congruam.

## XLIV DE HIS QUI EXCOMMUNICANTUR, QUOMODO SATISFACIANT

**1** Qui pro gravibus culpis ab oratorio et a mensa excommunicantur, hora qua opus Dei in oratorio percelebratur, ante fores oratorii prostratus iaceat nihil dicens, **2** nisi tantum posito in terra capite, stratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus; **3** et hoc tamdiu faciat usque dum abbas iudicaverit satisfactum esse.

**4** Qui dum iussus ab abbate venerit, volvat se ipsius abbatis deinde omnium vestigiis ut orent pro ipso, **5** et tunc, si iusserit abbas, recipiatur in choro vel in ordine quo abbas decreverit; **6** ita sane ut psalmum aut lectionem vel aliud quid non praesumat in oratorio imponere nisi iterum abbas iubeat; **7** et omnibus horis, dum percompletur opus Dei, proiciat se in terra in loco quo stat, **8** et sic satisfaciat usque dum ei iubeat iterum abbas ut quiescat iam ab hac satisfactione.

**9** Qui vero pro levibus culpis excommunicantur tantum a mensa, in oratorio satisfaciant usque ad iussionem abbatis; **10** hoc perficiant usque dum benedicat et dicat: Sufficit.

## XLV DE HIS QUI FALLUNTUR IN ORATORIO

**1** Si quis dum pronuntiat psalmum, responsorium, antiphonam vel lectionem fallitus fuerit, nisi satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictae subiaceat, **2** quippe qui noluit humilitate corrigere quod neglegentia deliquit. **3** Infantes autem pro tali culpa vapulent.

## XLVI DE HIS QUI IN ALIIS QUIBUSLIBET REBUS DELINQUUNT

**1** Si quis dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco, aliquid deliquerit, **2** aut fregerit quippiam aut perdiderit, vel aliud quid excesserit ubiubi, **3** et non veniens continuo ante abbatem vel

congregationem ipse ultro satisfecerit et prodiderit delictum suum, **4** dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.

**5** Si animae vero peccati causa fuerit latens, tantum abbati aut spiritalibus senioribus patefaciat, **6** qui sciat curare et sua et aliena vulnera, non detegere et publicare.

**XLVII DE SIGNIFICANDA HORA OPERIS DEI**

**1** Nuntianda hora operis Dei dies noctesque sit cura abbatis: aut ipse nuntiare aut tali sollicito fratri iniungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur.

**2** Psalmos autem vel antiphonas post abbatem ordine suo quibus iussum fuerit imponant. **3** Cantare autem et legere non praesumat nisi qui potest ipsud officium implere ut aedificentur audientes; **4** quod cum humilitate et gravitate et tremore fiat, et cui iusserit abbas.

**XLVIII DE OPERA MANUUM COTIDIANA**

**1** Otiositas inimica est animae, et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina.

**2** Ideoque hac dispositione credimus utraque tempore ordinari: **3** id est ut a Pascha usque kalendas Octobres a mane exeuntes a prima usque hora paene quarta laborent quod necessarium fuerit; **4** ab hora autem quarta usque hora qua sextam agent lectioni vacent; **5** post sextam autem surgentes a mensa pausent in lecta sua cum omni silentio, aut forte qui voluerit legere sibi sic legat ut alium non inquietet; **6** et agatur nona temperius mediante octava hora, et iterum quod faciendum est operentur usque ad vesperam.

**7** Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit ut ad fruges recolligendas per se occupentur, non contristentur, **8** quia tunc vere monachi sunt si labore manuum suarum vivunt, sicut et patres nostri et apostoli. **9** Omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.

**10** A kalendas autem Octobres usque caput quadragesimae, usque in hora secunda plena lectioni vacent; **11** hora secunda agatur tertia, et usque nona omnes in opus suum laborent quod eis iniungitur; **12** facto autem primo signo nonae horae, deiungant ab opera sua singuli et sint parati dum secundum signum pulsaverit. **13** Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut psalmis.

**14** In quadragesimae vero diebus, a mane usque tertia plena vacent lectionibus suis, et usque decima hora plena operentur quod eis iniungitur. **15** In quibus diebus quadragesimae accipiant omnes singulos codiccs de bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant; **16** qui codices in caput quadragesimae dandi sunt.

**17** Ante omnia sane deputentur unus aut duo seniores qui circumeant monasterium horis quibus vacant fratres lectioni, **18** et videant ne forte inveniatur frater acediosus qui vacat otio aut fabulis et non est intentus lectioni, et non solum sibi inutilis est, sed etiam alios distollit: **19** hic talis si -- quod absit -- repertus fuerit, corripiatur semel et secundo; **20** si non emendaverit, correptioni regulari subiaceat taliter ut ceteri timeant. **21** Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus.

**22** Dominico item die lectioni vacent omnes, excepto his qui variis officiis deputati sunt.

**23** Si quis vero ita neglegens et desidiosus fuerit ut non velit aut non possit meditare aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, ut non vacet.

**24** Fratribus infirmis aut delicatis talis opera aut ars iniungatur ut nec otiosi sint nec violentia laboris opprimantur aut effugentur. **25** Quorum imbecillitas ab abbate consideranda est.

**XLIX DE QUADRAGESIMAE OBSERVATIONE**

**1** Licet omni tempore vita monachi quadragesimae debet observationem habere, **2** tamen, quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus quadragesimae omni puritate vitam suam custodire omnes pariter, **3** et neglegentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. **4** Quod tunc digne fit si ab omnibus vitiis temperamus, orationi cum fletibus, lectioni et compunctioni cordis atque abstinentiae operam damus.

**5** Ergo his diebus augeamus nobis aliquid solito pensu servitutis nostrae, orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam, **6** ut unusquisque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gaudio Sancti Spiritus offerat Deo, **7** id est subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, et cum spiritalis desiderii gaudio sanctum Pascha exspectet.

**8** Hoc ipsud tamen quod unusquisque offerit abbati suo suggerat, et cum eius fiat oratione et voluntate, **9** quia quod sine permissione patris spiritalis fit, praesumptioni deputabitur et vanae gloriae, non mercedi. **10** Ergo cum voluntate abbatis omnia agenda sunt.

## L DE FRATRIBUS QUI LONGE AB ORATORIO LABORANT AUT IN VIA SUNT

**1** Fratres qui omnino longe sunt in labore et non possunt occurrere hora competenti ad oratorium -- **2** et abbas hoc perpendet, quia ita est-- **3** agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum tremore divino flectentes genua.

**4** Similiter, qui in itinere directi sunt, non eos praetereant horae constitutae, sed ut possunt agant sibi et servitutis pensum non neglegant reddere.

## LI DE FRATRIBUS QUI NON LONGE SATIS PROFICISCUNTUR

**1** Frater qui pro quovis responso dirigitur et ea die speratur reverti ad monasterium, non praesumat foris manducare, etiam si omnino rogetur a quovis, **2** nisi forte ei ab abbate suo praecipiatur. **3** Quod si aliter fecerit, excommunicetur.

## LII DE ORATORIO MONASTERII

**1** Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quicquam aliud geratur aut condatur. **2** Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, et habeatur reverentia Deo, **3** ut frater qui forte sibi peculiariter vult orare non impediatur alterius improbitate. **4** Sed et si aliter vult sibi forte secretius orare, simpliciter intret et oret, non in clamosa voce, sed in lacrimis et intentione cordis. **5** Ergo qui simile opus non facit, non permittatur explicito opere Dei remorari in oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

## LIII DE HOSPITIBUS SUSCIPIENDIS

**1** Omnes supervenientes hospites tamquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: Hospes fui et suscepistis me; **2** et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime domesticis fidei et peregrinis.

**3** Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a priore vel a fratribus cum omni officio caritatis, **4** et primitus orent pariter, et sic sibi socientur in pace. **5** Quod pacis osculum non prius offeratur nisi oratione praemissa, propter illusiones diabolicas.

**6** In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus: **7** inclinato capite vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur qui et suscipitur.

**8** Suscepti autem hospites ducantur ad orationem et postea sedeat cum eis prior aut cui iusserit ipse. **9** Legatur coram hospite lex divina ut aedificetur, et post haec omnis ei exhibeatur humanitas. **10** Ieiunium a priore frangatur propter hospitem, nisi forte praecipuus sit dies ieiunii qui non possit violari; **11** fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur. **12** Aquam in manibus abbas hospitibus det; **13** pedes hospitibus omnibus tam abbas quam cuncta congregatio lavet; **14** quibus lotis, hunc versum dicant:

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

**15** Pauperum et peregrinorum maxime susceptioni cura sollicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur; nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.

**16** Coquina abbatis et hospitum super se sit, ut, incertis horis supervenientes hospites, qui numquam desunt monasterio, non inquietentur fratres. **17** In qua coquina ad annum ingrediantur duo fratres qui ipsud officium bene impleant. **18** Quibus, ut indigent, solacia administrentur, ut absque murmuratione serviant, et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant ubi eis imperatur in opera. **19** Et non solum ipsis, sed et in omnibus officiis monasterii ista sit consideratio, **20** ut quando indigent solacia accommodentur eis, et iterum quando vacant oboediant imperatis.

**21** Item et cellam hospitum habeat assignatam frater cuius animam timor Dei possidet; **22** ubi sint lecti strati sufficienter. Et domus Dei a sapientibus et sapienter administretur.

**23** Hospitibus autem cui non praecipitur ullatenus societur neque colloquatur; **24** sed si obviaverit aut viderit, salutatis humiliter, ut diximus, et petita benedictione pertranseat, dicens sibi non licere colloqui cum hospite.

### LIV SI DEBEAT MONACHUS LITTERAS VEL ALIQUID SUSCIPERE

**1** Nullatenus liceat monacho neque a parentibus suis neque a quoquam hominum nec sibi invicem litteras, eulogias vel quaelibet munuscula accipere aut dare sine praecepto abbatis. **2** Quod si etiam a parentibus suis ei quicquam directum fuerit non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit abbati. **3** Quod si iusserit suscipi, in abbatis sit potestate cui illud iubeat dari, **4** et non contristetur frater cui forte directum fuerat, ut non detur occasio diabolo. **5** Qui autem aliter praesumpserit, disciplinae regulari subiaceat.

### LV DE VESTIARIO VEL CALCIARIO FRATRUM

**1** Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant vel aerum temperiem dentur, **2** quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis vero minus. **3** Haec ergo consideratio penes abbatem est. **4** Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus monachis per singulos cucullam et tunicam -- **5** cucullam in hieme villosam, in aestate puram aut vetustam -- **6** et scapulare propter opera, indumenta pedum pedules et caligas.

**7** De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur monachi, sed quales inveniri possunt in provincia qua degunt aut quod vilius comparari possit.

**8** Abbas autem de mensura provideat ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus ea, sed mensurata.

**9** Accipientes nova, vetera semper reddant in praesenti reponenda in vestiario propter pauperes. **10** Sufficit enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere propter noctes et propter lavare ipsas res; **11** iam quod supra fuerit superfluum est, amputari debet. **12** Et pedules et quodcumque est vetere reddant dum accipiunt novum.

**13** Femoralia hi qui in via diriguntur de vestario accipiant, quae revertentes lota ibi restituant. **14** Et cucullae et tunicae sint aliquanto a solito quas habent modice meliores; quas exeuntes in via accipiant de vestiario et revertentes restituant.

**15** Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagum et lena, et capitale.

**16** Quae tamen lecta frequenter ab abbate scrutinanda sunt propter opus peculiare, ne inveniatur; **17** et si cui inventum fuerit quod ab abbate non accepit, gravissimae disciplinae subiaceat. **18** Et ut hoc vitium peculiaris radicitus amputetur, dentur ab abbate omnia quae sunt necessaria, **19** id est cuculla, tunica, pedules, caligas, bracile, cultellum, graphium, acum, mappula, tabulas, ut omnis auferatur necessitatis excusatio.

**20** A quo tamen abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum, quia dabatur singulis prout cuique opus erat. **21** Ita ergo et abbas consideret infirmitates indigentium, non malum voluntatem invidentium; **22** in omnibus tamen iudiciis suis Dei retributionem cogitet.

### LVI DE MENSA ABBATIS

**1** Mensa abbatis cum hospitibus et peregrinis sit semper. **2** Quotiens tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare in ipsius sit potestate. **3** Seniore tamen uno aut duo semper cum fratribus dimittendum propter disciplinam.

### LVII DE ARTIFICIBUS MONASTERII

**1** Artifices si sunt in monasterio cum omni humilitate faciant ipsas artes, si permiserit abbas. **2** Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suae, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, **3** hic talis erigatur ab ipsa arte et denuo per eam non transeat, nisi forte humiliato ei iterum abbas iubeat.

**4** Si quid vero ex operibus artificum venumdandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sint ne aliquam fraudem praesumant. **5** Memorentur semper Ananiae et Saphirae, ne forte mortem quam illi in corpore pertulerunt, **6** hanc isti vel omnes qui aliquam fraudem de rebus monasterii fecerint in anima patiantur.

**7** In ipsis autem pretiis non surripiat avaritiae malum, **8** sed semper aliquantulum vilius detur quam ab aliis saecularibus dari potest, **9** ut in omnibus glorificetur Deus.

### LVIII DE DISCIPLINA SUSCIPIENDORUM FRATRUM

**1** Noviter veniens quis ad conversationem, non ei facilis tribuatur ingressus, **2** sed sicut ait Apostolus: Probate spiritus si ex Deo sunt.

**3** Ergo si veniens perseveraverit pulsans et illatas sibi iniurias et difficultatem ingressus post quattuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare et persistere petitioni suae, **4** adnuatur ei ingressus et sit in cella hospitum paucis diebus.

**5** Postea autem sit in cella noviciorum ubi meditent et manducent et dormiant. **6** Et senior eis talis deputetur qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eos omnino curiose intendat.

**7** Et sollicitudo sit si revera Deum quaerit, si sollicitus est ad opus Dei, ad oboedientiam, ad opprobria. **8** Praedicentur ei omnia dura et aspera per quae itur ad Deum.

**9** Si promiserit de stabilitate sua perseverantia, post duorum mensuum circulum legatur ei haec regula per ordinem **10** et dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis; si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede. **11** Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam noviciorum et iterum probetur in omni patientia. **12** Et post sex mensuum circuitum legatur ei regula, ut sciat ad quod ingreditur. **13** Et si adhuc stat, post quattuor menses iterum relegatur ei eadem regula.

**14** Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in congregatione, **15** sciens et lege regulae constitutum quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio, **16** nec collum excutere de sub iugo regulae quem sub tam morosam deliberationem licuit aut excusare aut suscipere.

**17** Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua et conversatione morum suorum et oboedientia, **18** coram Deo et sanctis eius, ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat quem irridit.

**19** De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum quorum reliquiae ibi sunt et abbatis praesentis. **20** Quam petitionem manu sua scribat, aut certe, si non scit litteras, alter ab eo rogatus scribat et ille novicius signum faciat et manu sua eam super altare ponat.

**21** Quam dum imposuerit, incipiat ipse novicius mox hunc versum: Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum et vivam, et ne confundas me ab exspectatione mea. **22** Quem versum omnis congregatio tertio respondeat, adiungentes Gloria Patri. **23** Tunc ille frater novicius prosternatur singulorum pedibus ut orent pro eo, et iam ex illa die in congregatione reputetur.

**24** Res, si quas habet, aut eroget prius pauperibus aut facta sollemniter donatione conferat monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus, **25** quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum scit.

**26** Mox ergo in oratorio exuatur rebus propriis quibus vestitus est et induatur rebus monasterii. **27** Illa autem vestimenta quibus exutus est reponantur in vestiario conservanda, **28** ut si aliquando suadenti diabolo consenserit ut egrediatur de monasterio -- quod absit -- tunc exutus rebus monasterii proiciatur. **29** Illam tamen petitionem eius, quam desuper altare abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio reservetur.

## LIX DE FILIIS NOBILIUM AUT PAUPERUM QUI OFFERUNTUR

**1** Si quis forte de nobilibus offerit filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minor aetate est, parentes eius faciant petitionem quam supra diximus **2** et cum oblatione ipsam petitionem et manum pueri involvant in palla altaris, et sic eum offerant.

**3** De rebus autem suis, aut in praesenti petitione promittant sub iureiurando quia numquam per se, numquam per suffectam personam nec quolibet modo ei aliquando aliquid dant aut tribuunt occasionem habendi; **4** vel certe si hoc facere noluerint et aliquid offerre volunt in eleemosynam monasterio pro mercede sua, **5** faciant ex rebus quas dare volunt monasterio donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructu. **6** Atque ita omnia obstruantur ut nulla suspicio remaneat puero per quam deceptus perire possit -- quod absit -- quod experimento didicimus.

**7** Similiter autem et pauperiores faciant.

**8** Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant et cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

## LX DE SACERDOTIBUS QUI FORTE VOLUERINT IN MONASTERIO HABITARE

**1** Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogaverit, non quidem citius ei assentiatur. **2** Tamen, si omnino persteterit in hac supplicatione, sciat se omnem regulae disciplinam servaturum, **3** nec aliquid ei relaxabitur, ut sit sicut scriptum est: Amice, ad quod venisti? **4** Concedatur ei tamen post abbatem stare et benedicere aut missas tenere, si tamen

iusserit ei abbas; **5** sin alias, ullatenus aliqua praesumat, sciens se disciplinae regulari subditum, et magis humilitatis exempla omnibus det. **6** Et si forte ordinationis aut alicuius rei causa fuerit in monasterio, **7** illum locum attendat quando ingressus est in monasterio, non illum qui ei pro reverentia sacerdotii concessus est.

**8** Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocentur; **9** et ipsi tamen si promittunt de observatione regulae vel propria stabilitate.

## LXI DE MONACHIS PEREGRINIS, QUALITER SUSCIPIANTUR

**1** Si quis monachus peregrinus de longinquis provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio **2** et contentus est consuetudinem loci quam invenerit, et non forte superfluitate sua perturbat monasterium, **3** sed simpliciter contentus est quod invenerit, suscipiatur quanto tempore cupit.

**4** Si qua sane rationabiliter et cum humilitate caritatis reprehendit aut ostendit, tractet abbas prudenter ne forte pro hoc ipsud eum Dominus direxerit.

**5** Si vero postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, et maxime quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dinosci. **6** Quod si superfluus aut vitiosus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori monasterii, **7** verum etiam dicatur ei honeste ut discedat, ne eius miseria etiam alii vitientur. **8** Quod si non fuerit talis qui mereatur proici, non solum si petierit suscipiatur congregationi sociandus, **9** verum etiam suadeatur ut stet, ut eius exemplo alii erudiantur, **10** et quia in omni loco uni Domino servitur, uni regi militatur. **11** Quem si etiam talem esse perspexerit abbas, liceat eum in superiori aliquantum constituere loco. **12** Non solum autem monachum, sed etiam de suprascriptis gradibus sacerdotum vel clericorum stabilire potest abbas in maiori quam ingrediuntur loco, si eorum talem perspexerit esse vitam.

**13** Caveat autem abbas ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat sine consensu abbatis eius aut litteras commendaticias, **14** quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alio ne feceris.

## LXII DE SACERDOTIBUS MONASTERII

**1** Si quis abbas sibi presbyterum vel diaconem ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi.

**2** Ordinatus autem caveat elationem aut superbiam, **3** nec quicquam praesumat nisi quod ei ab abbate praecipitur, sciens se multo magis disciplinae regulari subdendum. **4** Nec occasione sacerdotii obliviscatur regulae oboedientiam et disciplinam, sed magis ac magis in Deum proficiat.

**5** Locum vero illum semper attendat quod ingressus est in monasterio, **6** praeter officium altaris, et si forte electio congregationis et voluntas abbatis pro vitae merito eum promovere voluerint. **7** Qui tamen regulam decanis vel praepositis constitutam sibi servare sciat.

**8** Quod si aliter praesumpserit, non sacerdos sed rebellio iudicetur. **9** Et saepe admonitus si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in testimonio. **10** Quod si nec sic emendaverit, clarescentibus culpis, proiciatur de monasterio, **11** si tamen talis fuerit eius contumacia ut subdi aut oboedire regulae nolit.

## LXIII DE ORDINE CONGREGATIONIS

**1** Ordines suos in monasterio ita conservent ut conversationis tempus ut vitae meritum discernit utque abbas constituerit.

**2** Qui abbas non conturbet gregem sibi commissum nec, quasi libera utens potestate, iniuste disponat aliquid, **3** sed cogitet semper quia de omnibus iudiciis et operibus suis redditurus est Deo rationem.

**4** Ergo secundum ordines quos constituerit vel quos habuerint ipsi fratres sic accedant ad pacem, ad communionem, ad psalmum imponendum, in choro standum; **5** et in omnibus omnino locis aetas non discernat ordines nec praeiudicet, **6** quia Samuel et Daniel pueri presbyteros iudicaverunt. **7** Ergo excepto hos quos, ut diximus, altiori consilio abbas praetulerit vel degradaverit certis ex causis, reliqui omnes ut convertuntur ita sint, **8** ut verbi gratia qui secunda hora diei venerit in monasterio iuniorem se noverit illius esse qui prima hora venit diei, cuiuslibet aetatis aut dignitatis sit, **9** pueris per omnia ab omnibus disciplina conservata.

**10** Iuniores igitur priores suos honorent, priores minores suos diligant. **11** In ipsa appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine, **12** sed priores iuniores suos fratrum nomine, iuniores autem priores suos nonnos vocent, quod intellegitur paterna reverentia.

**13** Abbas autem, quia vices Christi creditur agere, dominus et abbas vocetur, non sua assumptione sed honore et amore Christi; **14** ipse autem cogitet et sic se exhibeat ut dignus sit tali honore.

**15** Ubicumque autem sibi obviant fratres, iunior priorem benedictionem petat. **16** Transeunte maiore minor surgat et det ei locum sedendi, nec praesumat iunior consedere nisi ei praecipiat senior suus, **17** ut fiat quod scriptum est: Honore invicem praevenientes.

**18** Pueri parvi vel adulescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordines suos consequantur. **19** Foris autem vel ubiubi, et custodiam habeant et disciplinam, usque dum ad intellegibilem aetatem perveniant.

## LXIV DE ORDINANDO ABBATE

**1** In abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio ut hic constituatur quem sive omnis concors congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars quamvis parva congregationis saniore consilio elegerit. **2** Vitae autem merito et sapientiae doctrina eligatur qui ordinandus est, etiam si ultimus fuerit in ordine congregationis.

**3** Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis -- quod quidem absit -- consentientem personam pari consilio elegerit, **4** et vitia ipsa aliquatenus in notitia episcopi ad cuius dioecesim pertinet locus ipse vel ad abbates aut christianos vicinos claruerint, **5** prohibeant pravorum praevalere consensum, sed domui Dei dignum constituant dispensatorem, **6** scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei faciant, sicut e diverso peccatum si neglegant.

**7** Ordinatus autem abbas cogitet semper quale onus suscepit et cui redditurus est rationem vilicationis suae, **8** sciatque sibi oportere prodesse magis quam praeesse.

**9** Oportet ergo eum esse doctum lege divina, ut sciat et sit unde proferat nova et vetera, castum, sobrium, misericordem, **10** et semper superexaltet misericordiam iudicio, ut idem ipse consequatur.

**11** Oderit vitia, diligat fratres. **12** In ipsa autem correptione prudenter agat et ne quid nimis, ne dum nimis eradere cupit aeruginem frangatur vas; **13** suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque calamum quassatum non conterendum. **14** In quibus non dicimus ut permittat nutriri vitia, sed prudenter et cum caritate ea amputet, ut viderit cuique expedire sicut iam diximus, **15** et studeat plus amari quam timeri.

**16** Non sit turbulentus et anxius, non sit nimius et obstinatus, non sit zelotypus et nimis suspiciosus, quia numquam requiescit; **17** in ipsis imperiis suis providus et consideratus, et sive secundum Deum sive secundum saeculum sit opera quam iniungit, discernat et temperet, **18** cogitans discretionem sancti Iacob dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.

**19** Haec ergo aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet ut sit et fortes quod cupiant et infirmi non refugiant.

**20** Et praecipue ut praesentem regulam in omnibus conservet, **21** ut dum bene ministraverit audiat a Domino quod servus bonus qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo: **22** Amen dico vobis, ait, super omnia bona sua constituit eum.

## LXV DE PRAEPOSITO MONASTERI

**1** Saepius quidem contigit ut per ordinationem praepositi scandala gravia in monasteriis oriantur, **2** dum sint aliqui maligno spiritu superbiae inflati et aestimantes se secundos esse abbates, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt et dissensiones in congregationes faciunt, **3** et maxime in illis locis ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam et praepositus ordinatur. **4** Quod quam sit absurdum facile advertitur, quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi, **5** dum ei suggeritur a cogitationibus suis exutum eum esse a potestate abbatis sui, **6** quia ab ipsis es et tu ordinatus a quibus et abbas. **7** Hinc suscitantur invidiae, rixae, detractiones, aemulationes, dissensiones, exordinationes, **8** ut dum contraria sibi abbas praepositusque sentiunt, et ipsorum necesse est

sub hanc dissensionem animas periclitari, **9** et hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. **10** Cuius periculi malum illos respicit in capite qui talius inordinationis se fecerunt auctores.

**11** Ideo nos vidimus expedire propter pacis caritatisque custodiam in abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterii sui; **12** et si potest fieri per decanos ordinetur, ut ante disposuimus, omnis utilitas monasterii, prout abbas disposuerit, **13** ut, dum pluribus committitur, unus non superbiat. **14** Quod si aut locus expetit aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate et abbas iudicaverit expedire, **15** quemcumque elegerit abbas cum consilio fratrum timentium Deum ordinet ipse sibi praepositum.

**16** Qui tamen praepositus illa agat cum reverentia quae ab abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra abbatis voluntatem aut ordinationem faciens, **17** quia quantum praelatus est ceteris, ita eum oportet sollicitius observare praecepta regulae.

**18** Qui praepositus si repertus fuerit vitiosus aut elatione deceptus superbire, aut contemptor sanctae regulae fuerit comprobatus, admoneatur verbis usque quater; **19** si non emendaverit, adhibeatur ei correptio disciplinae regularis. **20** Quod si neque sic correxerit, tunc deiciatur de ordine praepositurae et alius qui dignus est in loco eius surrogetur. **21** Quod si et postea in congregatione quietus et oboediens non fuerit, etiam de monasterio pellatur. **22** Cogitet tamen abbas se de omnibus iudiciis suis Deo reddere rationem, ne forte invidiae aut zeli flamma urat animam.

## LXVI DE OSTIARIIS MONASTERII

**1** Ad portam monasterii ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum et reddere, et cuius maturitas eum non sinat vagari. **2** Qui portarius cellam debebit habere iuxta portam, ut venientes semper praesentem inveniant a quo responsum accipiant. **3** Et mox ut aliquis pulsaverit aut pauper clamaverit, Deo gratias respondeat aut Benedic, **4** et cum omni mansuetudine timoris Dei reddat responsum festinanter cum fervore caritatis. **5** Qui portarius si indiget solacio iuniorem fratrem accipiat.

**6** Monasterium autem, si possit fieri, ita debet constitui ut omnia necessaria, id est aqua, molendinum, hortum, vel artes diversas intra monasterium exerceantur, **7** ut non sit necessitas monachis vagandi foris, quia omnino non expedit animabus eorum.

**8** Hanc autem regulam saepius volumus in congregatione legi, ne quis fratrum se de ignorantia excuset.

## LXVII DE FRATRIBUS IN VIAM DIRECTIS

**1** Dirigendi fratres in via omnium fratrum vel abbatis se orationi commendent, **2** et semper ad orationem ultimam operis Dei commemoratio omnium absentum fiat.

**3** Revertentes autem de via fratres ipso die quo redeunt per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorii **4** ab omnibus petant orationem propter excessos, ne qui forte surripuerint in via visus aut auditus malae rei aut otiosi sermonis. **5** Nec praesumat quisquam referre alio quaecumque foris monasterium viderit aut audierit, quia plurima destructio est.

**6** Quod si quis praesumpserit, vindictae regulari subiaceat. **7** Similiter et qui praesumpserit claustra monasterii egredi vel quocumque ire vel quippiam quamvis parvum sine iussione abbatis facere.

## LXVIII SI FRATRI IMPOSSIBILIA INIUNGANTUR

**1** Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine et oboedientia. **2** Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impossibilitatis suae causas ei qui sibi praeest patienter et opportune suggerat, **3** non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. **4** Quod si post suggestionem suam in sua sententia prioris imperium perduraverit, sciat iunior ita sibi expedire, **5** et ex caritate, confidens de adiutorio Dei, oboediat.

## LXIX UT IN MONASTERIO NON PRAESUMAT ALTER ALTERUM DEFENDERE

**1** Praecavendum est ne quavis occasione praesumat alter alium defendere monachum in monasterio aut quasi tueri, **2** etiam si qualivis consanguinitatis propinquitate iungantur. **3** Nec

quolibet modo id a monachis praesumatur, quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest. **4** Quod si quis haec transgressus fuerit, acrius coerceatur.

### LXX UT NON PRAESUMAT PASSIM ALIQUIS CAEDERE

**1** Vitetur in monasterio omnis praesumptionis occasio; **2** atque constituimus ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare aut caedere, nisi cui potestas ab abbate data fuerit. **3** Peccantes autem coram omnibus arguantur ut ceteri metum habeant. **4** Infantum vero usque quindecim annorum aetates disciplinae diligentia ab omnibus et custodia sit; **5** sed et hoc cum omni mensura et ratione.

**6** Nam in fortiori aetate qui praesumit aliquatenus sine praecepto abbatis vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinae regulari subiaceat, **7** quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alio ne feceris.

### LXXI UT OBOEDIENTES SIBI SINT INVICEM

**1** Oboedientiae bonum non solum abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi invicem ita oboediant fratres, **2** scientes per hanc oboedientiae viam se ituros ad Deum.

**3** Praemisso ergo abbatis aut praepositorum qui ab eo constituuntur imperio, cui non permittimus privata imperia praeponi, **4** de cetero omnes iuniores prioribus suis omni caritate et sollicitudine oboediant. **5** Quod si quis contentiosus reperitur, corripiatur.

**6** Si quis autem frater pro quavis minima causa ab abbate vel a quocumque priore suo corripitur quolibet modo, **7** vel si leviter senserit animos prioris cuiuscumque contra se iratos vel commotos quamvis modice, **8** mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio. **9** Quod qui contempserit facere, aut corporali vindictae subiaceat aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.

### LXXII DE ZELO BONO QUOD DEBENT MONACHI HABERE

**1** Sicut est zelus amaritudinis malus qui separat a Deo et ducit ad infernum, **2** ita est zelus bonus qui separat a vitia et ducit ad Deum et ad vitam aeternam.

**3** Hunc ergo zelum ferventissimo amore exerceant monachi, **4** id est ut honore se invicem praeveniant, **5** infirmitates suas sive corporum sive morum patientissime tolerent, **6** oboedientiam sibi certatim impendant; **7** nullus quod sibi utile iudicat sequatur, sed quod magis alio; **8** caritatem fraternitatis caste impendant, **9** amore Deum timeant, **10** abbatem suum sincera et humili caritate diligant, **11** Christo omnino nihil praeponant, **12** qui nos pariter ad vitam aeternam perducat.

### LXXIII DE HOC QUOD NON OMNIS IUSTITIAE OBSERVATIO IN HAC SIT REGULA CONSTITUTA

**1** Regulam autem hanc descripsimus, ut hanc observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum aut initium conversationis nos demonstremus habere.

**2** Ceterum ad perfectionem conversationis qui festinat, sunt doctrinae sanctorum patrum, quarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. **3** Quae enim pagina aut qui sermo divinae auctoritatis veteris ac novi testamenti non est rectissima norma vitae humanae? **4** Aut quis liber sanctorum catholicorum patrum hoc non resonat ut recto cursu perveniamus ad creatorem nostrum? **5** Necnon et Collationes Patrum et Instituta et Vitas eorum, sed et Regula sancti patris nostri Basilii, **6** quid aliud sunt nisi bene viventium et oboedientium monachorum instrumenta virtutum? **7** Nobis autem desidiosis et male viventibus atque neglegentibus rubor confusionis est.

**8** Quisquis ergo ad patriam caelestem festinas, hanc minimam inchoationis regulam descriptam, adiuvante Christo, perfice, **9** et tunc demum ad maiora quae supra commemoravimus doctrinae virtutumque culmina, Deo protegente, pervenies. Amen.

- [EXPLICIT TEXTUS REGULAE]